

» vel observantis seu pro qua determinatum foret providere et
 » procedere, omnibus modis et remediis, quibus sibi videbitur
 » expediens, rato semper manente contractu hujus pacis et con-
 » tentis in eo.

» Item (1) fecerunt dicti syndici et procuratores sibi ad invicem
 » et vicissim et hinc inde, sindicariis et procuratoriis nominibus;
 » quibus supra finem, remissionem, absolutionem, quietationem,
 » liberationem et perdonationem de omnibus et singulis discordiis,
 » guerris, injuriis, offensis, rebellionibus, occupationibus, violentiis
 » mortibus, et defensionibus inter dictas partes a die et tempore
 » discordie et guerre presentis citra, usque in diem presentem,
 » quomodocumque, quandocumque, qualitercumque, ubicumque et
 » per quoscumque illatis vel receptis, attentatis vel commissis, ac
 » pactum expressum de ulterius non petendo vel inquietando per
 » se vel alios, de predictis vel aliquo predictorum, ullo modo vel
 » ingenio (2).

» Item quod comune Florentie per suum legitimum syndicum
 » ad hoc specialiter constituendum, pacem et concordiam presen-
 » tem, et omnia et singula in hoc tractatu contenta, que et in quan-
 » tum videlicet spectent et pertineant ipsi comuni infra dies quatuor
 » postquam requisiti fuerint Priores vel regimen dicte civitatis per
 » nuntios et pro parte comunis Venetiarum et dictorum domino-
 » rum de la Scala et cujusque vel alterius eorum ratificabit, ap-
 » probabit et confirmabit cum omnibus promissionibus, obligatio-
 » nibus et solemnitatibus debitis et opportunis. Qua ratificatione
 » facta, debeant dicta castra, loca, terre et fortilie Pexie, Bug-
 » giani, Collis et Altipassus, prout superius in primo capitulo hujus
 » contractus fit mentio, per dictum dominum Mastinum seu per
 » nuntios ejus dari, assignari, et libere et expedite dimitti, infra

(1) Il brano, che qui segue è portato dal Verci come conclusione del contratto; ed è perfettamente d'accordo coll'originale, di cui mi valgo io.

(2) Qui finisce il brano portato dal Verci, tutto il resto gli manca sino alle note cronologiche.